



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangeliō depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resurrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 2. De consilio à Iudæis contra Christum habito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](#)

M E D I T A -
T I O S E C V N D A .

D E C O N S I L I O A I V D A E I S .

contra Christum habito.

E V A N G E L I U M .



V M appropinqua- *Matt. 26.*
ret dies festus azy- *Marc. 14.*
morum , qui dici- *Luc. 22.*
tur Pascha ; dixit

I E S V S discipulis
suis : Scitis quia post biduum Pas-
cha fiet, & filius hominis tradetur
ut crucifigatur. Tūc congregati sunt
Principes Sacerdotum, & seniores
populi in atrium Principis Sacer-
dotum , qui dicebatur Caiphas, &
consilium fecerunt, vt I E S V M do-
lo tenerent, & occiderent, timebāt
verò plebem.

Tunc intravit Satanás in Iudam
vnum de duodecim , & abiit ad

B z Prin-

12 MEDITATIONES

Principes Sacerdotum, & ait illis:
Quid vultis mihi dare, & ego vobis
eum tradam? At illi audientes gauisi
sunt, & constituerunt ei triginta
argenteos; Et cum conuenissent de
precio, spopondit. Et exinde quære-
bat opportunitatem ut eum trade-
ret, sine turbis.

FIGVR A.

Gen.37.

FRATRES Iosephi, cum eum ad
se venientem adspicerent, stimu-
lante inuidia de eius nece cogitabant:
& consilio inito dicebant inter se: Ec-
ce somniator venit, venite occi-
damus eum.

Ibid.

Fratres Iosephum Ismaelitis vi-
ginti denarijs vendiderunt.

PROPHETIE.

Hier.13.

FODERVNT foueam, ut caperent
me, & laqueos absconderunt pedibus
meis. Tu autem Domine sis omne consi-
lium eorum aduersum me in mortem

Psal.30.

In eo dum conuenirent simul aduersum
me, accipere animam meam consiliati sunt.

Psal.70.

Dixerunt inimici mei, & qui custodie-
bant animam meam, consilium fecerunt in

vnum

DE PASSIONE DOM. 15

vnum dicentes; D E V S dereliquit eum,
persequimini & comprehendite eum.

Et appenderunt mercedem meam tri- Zach. ii.
ginta argenteos.

Vendiderunt Iustum pro argento, & Amos. 2.
pauperem pro calceamento.

CONSIDERATIONES.

QUO majoribus beneficijs Do- ^{i. Punctū.}
minus populum suum afficie-
bat, eò magis illorum malitia
& ingratitudo incrementa sumebant.
Ut meritò quondam per Prophetam
conquestus sit. *Filios enutriui, & exal-*
tavi: ipsi autem spreuerunt me. Quoties ^{Isaia. 8.}
bonus I. E. S. V. S lacrymas fundebat,
quoties noctes integras vigilabat, qui-
bus Deum Patrem pro salute ipsorum
rogaret? quoties dies totos consume-
bat, in cōcionib. & eruditione populi
in ejciendis Dæmonib. in sanandis il-
lorum infirmis, illi contrà noctes & dies
meditantur, & consilia inter se tractat,
quomodo illum in suam potestatem
redactū, quām crudelissimē occidant.
Cæci & miseri Iudæi, qui meditantur
& quærunt Christum, non vt eum a-
pud se habeant, sed vt occidant! neque
vident se occidere Christum, qui ve-

14 MEDITATIONES

ra est ipsorum vita , mortem incurrete sempiternam. Beati, qui meliore consilio Christum quærunt, ut cum apud se habeant & possideant. Nam qui I E S V M habet, vitam habet, salutem habet, omne bonum habet.

Considera quanto sit maior Iudea ingratitudo, quam Iudeorum. Cùm enim delectus esset à Christo, vt in primis subsellijs olim in cælo consideret, vt iudex orbis terrarum : patitur miser homo, ita se ab auaritia cæcari , vt non modò vili precio renunciet tantæ dignitatis; sed ipsum insuper Christum vendat. Væ animæ illi, quæ semel apud se obstinatè vitio cuicunque det locum: nullum est enim tam grande scelus, quod data occasione postea refugiat committere . Caevant sibi hic ij, qui alto in statu vitae agunt , Deoque viciniores sunt. Isti enim si semel sua vocatione excidant, plerumque omnibus postea hominibus peiores euadunt.

Vide quam parui Iudas Christum aestimat : vt cuius indicationem relinquit arbitrio capitalium ipsius inimicorum Iudeorum, cùm diceret. Quid vultis mihi dare, Et ego vobis illum tradam? Inauditum est, vt mercis pretium venditor in emtoris arbitrio constituat, nisi

DE PASSIONE DOM. **v**

nisi de re nullius precij agatur. O sce-
lerate negotiator, qui æstimas eum num-
mis, qui æstimari non potest: cum, cu-
ius comparatione omnia præciosa nul-
lum habent precium, eum tu tam vili
æstimas? Non vides, ô miser, vna gut-
ta sanguinis ipsius, mundos infinitos
comparari posse, & hunc tu sanguinem
totum triginta denarijs vendis? Iuda
perdite, non tam vili tuam animam
æstimauit Christus tuus redemptor,
quam tu illius animam vendis. Ille te
recio sanguinis sui emit, tu illius vitam
30 denarijs vendis.

O Mater Sancta, tu accede huc ad au-
ctionem filij tui: fac ut à te emant, quia
tuus est, non istius latronis, qui res alien-
nas venum exponit, tum appareret,
quantum tu adderes ad precium, quan-
tumque tua æstimatio ab illorum æsti-
matione differret. Quod si voluntatem
tuam formans in voluntatem Dei, assen-
tiris ut ab isto latrone vendatur: tu sal-
tem compara: tuum enim te redimere
conuenit. Sed tu Iuda infelix si tamen
cupiditas nūmorum cogit te Christum
vēdere, quid inimicis vendis? amici lon-
gè tibi liberalius precium soluent. Quā-
ti putas à te redimeret Lazarus, ne ven-
deres: quantum tibi Magdalena, quan-

16 MEDITATIONES

tum Martha largirentur! quantum vero Mater, destituta omni solatio ad quam damnum maximè pertinet, que si non aliud posset, pretio certè infinitarum lacrymarum sibi eum compararet. Cogita genique, si apud Angelos illum venalem proponeres, quæteresque quanti licentur IESVM, profecto pro suo Domino, suam tecum felicitatem permutarent.

Considera mansuetudinem Salvatoris Sciebat se à Iuda tanta cum ignominia venditum; nec tamen illum abigit; sed inter suos familiares tolerat: non illi claudit, sed patefacit aditum ad suam misericordiam. Inuitat illum, an velit redire ad pœnitentiam, itaque illum ferè primum inter omnes alloquitur, sumit cum illo cibum, usque eo in amore descendit, ut illi pedes latet. Heu mihi, quod cor tam durum, quæ mens tam obstinata, quæ non emolliatur, imò rumpatur tanta amoris suavitate? Quod si I E S V S tanto amore prosequitur eos, à quibus tantuli vendituri: quid faciet illis, qui illum sincerè amant, & fideliter ipsi serviunt? O optime I S V, quantum ego tibi debeo? Illum enim qui te semel vendiderat, in æterna supplicia ruere:

DE PASSIONE DOM. 17

ruere permisisti: at me seruum perfidū,
qui in singulas horas te vendo; adhuc ta-
men expectas, adhuc toleras, adhuc por-
rigis mihi manum gratię, & spatium, ut
ad salutem reuertar.

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum D. N. per illam
mansuetudinem, qua passus est, se
ab illo perditorum cōsilio morte dam-
nari, & ab uno de numero discipulo-
rum tam vili precio inimicis vendi, ut
tibi similiter gratia sua opem ferat, ut
quemadmodum ipse ostendit tuæ se-
magis, quam suæ vitæ rationem duce-
re; sic etiam tu pro amore ipsius, pa-
tienter feras omnia hominum contra-
te iudicia & cōsilia: itemque ut sis qua-
si venditus & contemptus à mundo,
tanquam inutilis & infamis: nec vlla
res creata abducat te ad permutatio-
nem aut omissionem summi boni tui:
sed ut possis sicut par est, illum solum
supra omnes res æstimare, illi seruire, il-
lum amare in æternum.

DOC VMENT A.

I. **Q**VI alijs vel atate, vel scientia,
vel dignitate præstant, iij operam
dare debent, ut præsent etiam sanctitate

B. 5.

6.

18 MEDITATIONES

& legum obseruatione: ut possint non modo cōsilio, sed etiam vita exemplo sibi creditos adiuuare. Cauēat verò sibi, ne suo exemplo cuiquam occasione dēt ruina, quod ab istis Sacerdotibus & Senioribus Iudeorum commissum est: qui suo iudicio Christū morte dignum pronūciantes, causam prabuerūt populo, ut peruerso iudicio ipsorum sequens autoritatem, contra Christum insurgeret.

2. Si Iudas Apostolus Christi, qui cum Christo conuersabatur, eius doctrinā audiebat, & miracula p̄ oculis habebat: tamē sola occasione loculorum, qui erant ipsi commissi, ita per auaritiā excēcatus est, ut animū posset inducere, ut Dominū suum venderet: quid nobis fiet, si non cautele caueamus peccatorum occasiones?

3. Qui principio vim sibi non infert, nec vincit animi vitiosas inclinationes, magno est in periculo ruina. Diabolus enim in quā partem inclinari nos intelligit, in eam nos suis tentationibus & grauius impellit, & facilius prosternit.

4. Quemcunque sermone aut exemplo ad peccatum inducimus ei Christum vedimus, per eius peccatum iniuria affidendum, & crucifigendum.

5. Quot cupiditatibus tenemur rerū terrenarū, honoris, scientia, opum, voluptatum

DE PASSIONE DOM. 19

tum corporis, tot loculos cū Iuda circumferimus, id est laqueos quibus capiamur, & trahamur ad interitum. Omittamus hos loculos, ne peramus: neque enim Apostolorū ullus perijt, nisi qui loculos habuit.

6. Quoties Dominum offendimus, ut nostra cupiditat faciamus satis, aut illius diuinis inspirationes contemnimus: toties Christum vili precio vendimus, & multo viliori nonnunquam, quam illum Iudas vendiderit.

M E D I T A-
T I O T E R T I A.

QVOMODO CHRISTVS DVOS
discipulos miserit ad parandam cœ-
nam: & Matri extremum

Vale dixerit.

E V A N G E L I U M.

PRIMO die azymorum, mittit Iesus Petrum & Ioannem dicēs: Eūtes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt: Vbi vis

*Matt. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.*

B 6 pare-